

tens quod nomine sepedicto ipsum dominum Volcolum uel eius bona de cetero non molestare, petere uel inquietare in curia uel extra, occasione predicta, sed presentem quietationem perpetuo firmam et ratam habere et tenere cum refectione dampnorum et expensarum litis et extra et sub obligatione omnium bonorum dicti constituentis presentium et futurorum. Tenor autem licterarum comissionis predicti domini archiepiscopi Barenensis hic est: Bartolomeus dei gratia Barenensis archiepiscopus etc.

Actum Spaleti in platea sancti Laurencii, presentibus ser Crestolo Petri Papalis, iudice supradicto, domino Laurencio ser Çannini canonico et uicario maioris ecclesie Spalatensis et Paulo Berini examinatore.

XXX

1359, 7 novembre.

IV, II, 56/68 v.

(*Protocollo c. s.*): Die VII nouembris. Ser Srechia Lucari et ser Gregorius Petri, tamquam sindici comunis Spaleti, cum consensu et uoluntate dictorum dominorum iudicum et consilii generalis dicte ciuitatis, uice et nomine ipsius comunis Spaleti ex una parte et Johannes Siluestri olim massarii comunis ex altera, de tota quantitate pecunie et omnibus aliis que peruenerunt ad manus ipsius Johannis toto tempore officii sue massarie et de eo quod ipse Johannes habuit ad faciendum cum ipso comuni tamquam syndicus destinatus in Apuleam pro blaua empta per ipsum pro dicto comune et generaliter de omnibus et singulis que unus contra alterum petere posset usque in hodiernam diem, fecerunt sese ad inuicem generalem finem, quietationem, remissionem et pactum de ulterius aliquid non petendo, uolentes quod omne instrumentum siue scriptura si qua apparent ab uno contra alterum, quacumque ratione uel causa, sint cassa, uana et cancellata et nullius ualoris, promictentes sese de cetero non molestare, petere uel inquietare in curia uel extra occasionibus predictis, sed dictam quietationem perpetuo firmam et ratam habere et tenere, cum refectione etc.

Actum in palacio comunis, presentibus Peruoslauo Johannis et Çutio Bucamajoris testibus et Jancio Duimi examinatore.

XXXI

1359, 30 novembre.

IV, III, 62/74

(*Protocollo c. s.*): Die ultimo nouembris. Congregato generali consilio ciuitatis Spaleti de mandato egregii et nobilis uiri domini Ladislai uicem comitis Spalatensis et iudicum supradictorum in palacio comunis ad uocem